

www.e-rara.ch

Leges Bibliothecae Academiae Basiliensis

[Basel], [1681]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-23611>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

L E G E S
B I B L I O T H E C A E
A C A D E M I A E B A S I L I E N S I S.



I. **B**IBLIOTHECARIJ duo, quotannis à Senatu Academico electi, Bibliothecæ curam bonâ fide gerunt: utque suo ordine constet, Librique manuscripti recondantur, operam danto.

II. Bibliothecarii Claves Bibliothecæ, (quas præter Rectorem Vniversitatis & ipsos nullus alius habeat) nemini concedunt.

III. Ne verò Thesaurus iste humi defossus lateat, Bibliotheca hebdomadatim die Jovis ab hora I. usq; ad III. pomeridianam, utroq; aut altero saltem Bibliothecario, duobusq; Alumnis præsentibus & observantibus, aperitor, atq; ad lustrationē & lectionem Librorum omnibus rei literariæ cultoribus, quorum fides non est sublesta, aditus conceditor, cujus privilegii redimendi & potiundi ergo unusquisq; nomen suum in matricula inscribit, assesq; decem numerato. Sic vulgus Studiosorum. Cæteri quivis pro dignitatis & honoris gradu.

IV. Honorarium quoque, Srenæ loco, quotquot Bibliothecam adeunt, & supellectile librariâ utuntur, pro arbitrio cujuscunque, quotannis die ultimo Decembris per Ministrum Academicum Bibliothecariis mittunt.

V. Quicunque libros utendos ex Bibliothecâ habere volet, nomen suum, diemq; quo sumpserit, in Librum, ejus causâ paratum, notato, & quod, Libro quocunque casu, etiam fortuito, negligentiave amisso aut corrupto, sit Fisco Academico pretium ejus, ab Academico Senatu definitum, sine ulla exceptione, tergiversatione morave exsoluturus, Bibliothecariis bonâ fide promittito: pretiumque amissi vel corrupti Libri Bibliothecarii ab eo, qui utendum accepit, exigunt.

VI. Libros tamen Manuscriptos, cæterosque rariores, nemini, nisi Vniversitatis Rectoris & Decanorum voluntate, concedunt, maximè si ob vetustatem, corrosionem, similēve causam majoris damni timor subesse possit. Et cum Liber restituitur, ne quid deterius in eo factum sit, diligenter advertunt.

VII. Extra Urbem autem, nec sub pignoribus fidejussoribusve idoneis, cuiquam, Libros præsertim manuscriptos, rarioresve, nisi decernente Senatu Academico, commodato danto.

VIII. Ultra trimestre spatium (exceptis Vniversitatis Professoribus) nullius Libri usum Bibliothecarii alicui permittant: nisi, qui accepit, ut ultra uti liceat, ab ipsis impetrarit. Repetere tamen à commodatariis Libros quocunque tempore, trimestri etiam nondum elapso, maximè si Professorum aliquis, cujus Professioni inservit, iis quoque uti velit, Bibliothecariis fas esto.

IX. Studiosis, qui honorum consequendorum causâ ad nos veniunt, vel Candidatis, solo consensu Decani ejus Facultatis, cujus Studiosi sunt, interveniente: reliquis verò peregrinis, non nisi fidejussoribus idoneis datis, Libros utendos concedunt.

X. Quorumlibet heic Basileæ excusorum vel recusorum Librorum Exemplar unum à Typographis, more consveto, Bibliothecarii exigunt, & ut Bibliothecâ inferatur, Decano cujuslibet Facultatis tradunt.

XI. Si numerus Librorum ex Bibliothecâ redditibus per emptionem augeri possit, eos Decani citra moram, cum consensu tamen suorum Collegarum, emunt, non verò Bibliothecarii, compingendosque curant, nihilque nummorum, ad augendam Bibliothecam pertinentium, in Fisco otiosum esse patiuntur.

XII. Professores, Pastores & Ministri Verbi Divini in Vrbe & Agro, nec minùs Gymnasiarcha, ejusque proximus Collega, Præceptor nim. VI. Classis, ut primùm Officiorum suorum auspicia duxerint, Librum, duorum Talerorum Imperialium pretium ad minimum adæquantem, Bibliothecâ inferunt, adhibito tamen priùs & impetrato, de Libri Auctore & qualitate, Decani cujuslibet Facultatis, ad quem ille pertinet, & Bibliothecariorum consilio, approbatione & consensu.

XIII. Ad Gradum Doctoratûs & Licentiæ heic promoti, memoriam nominis sui exhibitione Libri paris pretii consecrunt.

XIV. Decani quoque singuli acceptæ expensæque pecuniæ rationes nuper electo Rectori, & Collegis, eodem tempore, quo Facultatis rationes dantur, reddunt: Similiter & Bibliothecarii annuatim Fisci sibi concrediti acceptorum & expensarum, nec non Librorum commissorum, administrationis, atque adeò curæ Bibliothecariæ totius, annuatim tempore constituto Rectori Vniversitatis & Decanis rationes fideliter dant, Librosque universos & singulos, commodato datos, antequam anniversariæ rationes instituuntur, repetunt, suoq; ordine collocatos iisdem sub auspiciis novi Rectoris ostendunt. Si quid per incuriam amiserint, neglexerint; restituunt, compensant.

*Actum & sancitum in Senatu nostro Academico,
d. 14. Octob. Ann. 1681.*

dem 20. Junij 1788
gezeigt wurde, wurde auch die folgende Re-
quisition auf das schwebende Geld im
Allgemeinen mit Wohlbedacht